Nobilissimo Viro D. Constantino Hugenio,
Equiti, Zulichemi Domino
C. Barlaeus S. P. D.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissime Hugeni,
decrevi filium in Gallias mittere, ut Druidum lingua loqui discat,
sine qua silendum pluribus, praesertim Hagae, ubi Gallorum &
Gallizantium plena sunt omnia. Verum de itinere sollicitus sum.
nec enim terrestre tutum, ob hostium hinc inde circa limitanea
Galliae loca excursiones. nec maritimum, ob Morinos. Quare
cuperem illum vel ire classe in Angliam, quae Principem
Auriacum vehet. Si inseri posset comitatui privati cuiusdam
nobilis, qui mensae ipsi ad breve tempus copiam faciat, ego
mihi beneficium hoc praestitum interpretarer. Mox, ubi in
Angliam appulerit, minore, ni fallor, discrimine, in Galliam
trajiciet, ut Aureliam concedat, ibique vel alibi per annum
moretur. Nobiliss. Vicofortius hoc se impetraturum sperat apud
Rheni Comitem. Vos cogitare velim, qua ratione mihi et
filio consuli possit in re non magni momenti. Multas umbras
secum trahet pompa ista nuptialis. quid si inter illas deli=
tescat umbraticus. quanquam et usui esse possit disserere
cupientibus. Scribit non latinè solum, sed purè. Graecae
linguae non est imperitus. literas pingit optimo charactere.
gallica omnia intelligit. nec alias audit conciones, nisi
ista linguâ. In iuris studio progressus fecit laudabiles. Is
adeo est moribus et ea indole, ut quibus convixit
hactenus, in sui amorem pellexerit omnes. Non dicam plura,
ne à patre videatur profecta commendatio. Nuptias Auriaci
Poëmate prosequar. Sed nescio, an suaseris illud in Britannicis
solemnitatibus exhiberi, an, postquam reversus est Princeps, hic.
Indica, si placet, per D. Vicofortium. Proximo die Lunae
Homiliam sacram recitabo, περὶ Χριστοῦ πάσχοντος. Vale
Hugeni praestantissime et filios saluta, ante eos Constantinum,
antiscribam meum. Amstelod. XVIII Mart. CIƆIƆCXLI.

Verte

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 143
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2673

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 143
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2673